

esse contendant, & ipsa veritate in profundum demersa, certi quicquam negent quærendum esse? Num hoc est docere quenquam? Num aliud quam stupidum reddere & vesanum? Si hoc est sapere velle, quid tandem erit insanire?

In hac igitur tanta reip. litterariæ ambiguitate & temporum difficultate, quid jam, quæso, faciendum putabimus artium litterarumque in scholis magistro eique religioso & probò? An licebit istum belli litterarii rumorem negligere, aut simulare ejus ignorantiam? At inimicorum vis acriter instat, & vehementer urget, agitat, vexat, & ipsa sacrarii pignora capit & populo tradit concidenda. Aut jubebimus eum, ut fervum illud imitatorum pecus, uni forte cujusdam quasi veruecis sectarii formulæ adhærescere & jurare in verba magistri? Aut sibi sapere & suo abundare sensu? At hæc cæca est & temeraria pervicacia, non veri studium, non doctrinæ gravitas & constantia. Et quærimus de artium magistro, qui sit liberalis, humanus, elegans, copiosus & prudens. Ejus scire volumus quæ futura sit difficultatis expediendæ ratio, quod tuendi servandique docendi muneris consilium, neque id ab ingenii levitate quadam aut callido temporibus inserviendi studio profectum, sed ab ipsa animi religione ac fide præscriptum. Quod quale sit vix quisquam alius possit melius dicere, quam divus ille Paulus, qui, vel in ipsis rebus divinis & sacris, mentem humanam jubet in discendo progredi quidem, sed ita progredi, ut nova quæque & speciosa forte oblata ad veri normam exigat tanquam ad lydium lapidem, optima quæque & utilissima retineat atque in usum convertat, alia in medio relinquat. Cujus quidem præcepti Paulini vis, (1. Thess. V. 21.) quæ tandem alia erit hoc loco, quam ut doctor scholasticus in illo tam difficili omnis doctrinæ discrimine *eclecticum* se fore profiteatur, sed sanum, sed sibi constantem & gravem. Hæc pluribus libuit præfari, quod hanc ipsam rem superiori anno breviter attigi in extremo loco prolusionis *de discendi studio docentibus non remittendo*, eamque nunc paucis persequar, *de bonarum litterarum in scholis magistro eclectico* ita dicturus, ut qualis omnino sit aut esse debeat, & quid in doctrina sequendum agendumque sibi putet, ostendam.

Totum igitur hoc doctrinæ genus eclecticum non mentiri debet speciosum illud nomen philosophiæ Alexandrinæ, quæ inde a rerum christianarum primordiis per aliquot secula detestabili syncretismo cœlum terramque miscuit, sed sequendam sibi putare